DE MORBO MARITIMO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Giuseppe Castoldi

DE
MORBO MARITIMO
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE, PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE P. DIRECTORE, SPECTABILI D. DECANO AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

DOCT. JOS. MORETTI
BOTAN. PROF. O.

PRO DOCT. MEDICINAE LAUREA RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOSEPH CASTOLDI
TICINENSIS
CHIRURGIAE DOCTOR AC ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER

In Theses disputabitur Universitatis aedibus
Mense Augusti an. 1835.

TICINI REGII.
Ex Typis Fusi et Socii.

PRAEFAMEN.

Homini, cui nihil forsan, progrediente tempore, viribus, quibus instruitur, majus, atque impossibile erit, dummodo spatium inter et objecta ipsum circumambientia inveniatur; homini, cui numquam deficit animus virtusque in maximis etiam periculis obeundis; homini, quem nec teterrima terruerunt spectacula, quae audenter ipse spretus est; homini, inquam, numquam a supremo omnium rerum opifice concessum fuit maris se itineribus committere, quin maritimo, sic dicto, adfectu haud vexaretur; in illis quidem maris itineribus, in quibus, ob audacem profecto, non minus autem sublimem mentis animique conatum, adeo cum securitate decurritur, ut non modo undarum insultibus reniti queat, hique exsuperentur, sed et publica et privata

confidantur negotia. Quod profecto cum mirandae nauticae disciplinae non modo, verum et aliarum scientiarum detrimento fit, plures enim, qui tum ingenio, tum acquisitis cognitionibus, haud parum in hisce et illa luminis afferre possent, ab incommodis, quae vix mari committuntur, experiuntur, adeo terrentur, ut hoc tentare non audeant.

Unum quod homines illis causis exsuperandis pares reddere potuit, habitudo, altera natura, fuit, adeo ut terrificis hujusmodi elementi motibus reniti valeat, cunctaque exinde prodeuntia mala, ipsamque permolestam aliquando famem, securo non modo, sed etiam ridenti animo perferre valeat. Attamen quandoque fit, ut nonnulli inveniantur, qui licet primum hujusmodi itineribus exponantur, ob ipsorum corpori a natura insitam arcanam quamdam vim, hoc non solvant tributum immunesque a quocumque malo se perhibeant. Quod rationaliter ad explicandum non sufficiunt plurimae de hac re a medicinae scriptoribus, et potissimum a Keraudren, vulgatae observationes, neque physicam corporis evolutionem criminandam esse censeo, quum equidem robustiores, et debiliores, et delicatuli, juvenes idem ac senes, mares et foeminae etc. quemadmodum mihimetipsi haud semel videre fuit, praefato malo obnoxii videantur. Sed,

quod, magis mirum sane est, nonnullae etiam reperiuntur gentes, quae prae aliis, ab hoc malo vexantur, et versa vice, quemadmodum et ipse adnotare potui.

DE MORBO MARITIMO EJUSQUE INDOLE.

Morbus *maritimus, morbus marinus*, Italis *mal di mare, mal du mer* Gallis, *ναυσια ναυτια* a voce *ναυς ναυις Graecis*, in continuis sistit ad vomitum conatibus, saepe in ipso vomitu, ab universali dysphoria, maxima virium prostratione, gravedine et dolore capitis comitato.

Alibi fusius de immediatis, localibus et accidentalibus causis allocuturo, breviter hic locorum, de primaria atque occasionali causa disserere mihi fert mens.

Navis diversimode ventis fluctibusque exagitatur, atque perraro contingit ut undarum superficiem permeans rectam naturalemque positionem servet. Si in itinere latus versus propendet *andar di borina*, a *mezza nave* vulgo dicitur, et haec positio haud multum incommoda est, quum navis lateri quasi innixa incedat, et nonnisi quasdam undulationes pa-

tiatur. Dumvero alternatim, modo huic, modo alteri incumbit lateri (talis *rollare*, *rollamento* audit), additurque insuper successivus prorae et puppis elevationis et depressionis motus (*barcollamento*, melius *di ficcata*), insuetis procul dubio marinum parit morbum.

Primo exsuperato insultu ab altero immunes haud se credant navigatores, nisi optimo temperamento, et robustiori corporis constitutione a natura praediti fuerint, aliaeque faveant circumstantiae; sin secus enim, praefato navis motu repetito, et jam passa incommoda, quin immo majori semper vi, iterum in scenam prodibunt.

Qui hoc experitur malum, tumultuosum praenunciat mar, adspectumque obfert a naturali norma ita recedentem ut magna cum difficultate utrum in physico, aut potius psychico ejusdem statum patiatur. Vultus fere exterrefactus, cadaveris quasi adinstar pallescit, internumque actionis et reactionis statum exprimit. Cutis, et praesertim, quae caput obtegit sudore, sed hic illic non aequabiliter diffuso madet, quemadmodum in illis videre est, qui ab animo deliquio exsurgunt. Sensim sensimque deprimuntur animales hujusmodi individuorum vires, dum peculiaris quaedam irritabilitas illorum musculis insidet, adeo ut frequenter corporis positionem mu-

tare, ipsumque corpus huc illuc dextrorsum, sinistrorsum indesinenter jactitare, et modo anterius vehementer flectere, modo altius extollere, vel retrorsum incurvare, cogantur. Oppressionis sensus totum detinet pectus, qua propter frequentibus profundisque inspirationibus indiget, per quas ab aliqua mentis contentione, quae nullam concedit cogitationem, levari videtur. Tot augustiis permolesta citissime adsociatur in epigastrica regione sensatio, quam illico excipit nausea, quae circa colli basim constrictionis sensum parit, ab ingenti suffocationis metu comitatum, qua propter aegri confestim huc manus extollunt, nec non thoracem, et ventriculi regionem ad latera premunt. Quae omnia phaenomena ad indeterminatum temporis intervallum protrahi queunt (quod facile unusquilibet per se intelligere potest, qui perpendat, causam morbi occasionalem potius quam imminui continuo adaugeri) donec vehemens, dolorificus, lanians subsequatur vomitus, aegerque resolutis viribus, sensibus omnibus destitutus, obclusis oculis, ore spuma circumdato, pulsibus parvis, exilibus, filiformibus, gemitus miserrime edens, solo, concidat. Quamvis tamen ut supramonuimus, haec symptomata per temporis spatium indeterminatum vexare queant, hoc nihilosecius per breve semper esse commonere juvat.

In hoc asphyxiae quasi statu plus minusve remanet aeger, numquam tamen ultra dimidiae horae spatium; quo tempore transacto, paulatim pristinas iterum vires adipiscitur, et, quoad infirmae illi concedunt vires, e solo exurgere conatur, verbis movendis impar, absque ideis, quaecumque respuens auxilia. Hic tamen requiei statu diu neutiquam gaudet, continuo enim agentibus, vel renovatis causis, iterum in eadem offendit mala, quae sub singulis insultibus indesinentur graviora fiunt, quaeque haud raro miseros e vita dirimere valent.

Hujusmodi adfectum maximopere primi verebantur navigatores, cujus rei in causa potissimum procul dubio erat major morbi vis et duratio; quod ex inde prosilire debebat quod, deficientibus illis de re nautica notionibus, tum relate ad navium fabricam, tum relate ad ipsam praxim eas dirigendi, per quam hodierno oevo, vel precaventur pericula, vel si fortuito in ipsa offendatur, exsuperari possunt, facillime fortunis exponebantur. Re quidem vera quid attendendum ab illorum navibus tali modo constructis, ut perspecta vix forma, eas mari commissas videre horreat mens? Quid ab eorum ducibus expectare licebat? Qui in divitiis natantes, omnibusque vitae commodis circumdati non

modo prope oras continuo solatii causa vagabant, verum etiam, quacumque invita maris fortuna, vela solvebant! Quid boni ex istorum disciplinis sperare fas erat, dum navigia omnibus destituebantur auxiliis macchinisque, quibus multiplices peraguntur operationes ad navem recte dirigendam requisitae, dum omnia desiderantur, quae in quibusdam circumstantiis occurrunt, dum vix non omnes deficiebant mechanicae, astronomicae, physicae atque hydrographicae doctrinae?

Atque ut aliqua proferam relate ad id quod veteres de morbo maritimo sentiebant, quidque plures tradiderunt scriptores, quos inter enumerasse sufficiat Gilchrist, M. Wollaston in philosophicis transactionibus, atque Emmerich, en quommodo perillustris Doctor Kerandren miseri hoc adfectu tentati immaginem praebet. » L'abattement, *inquit ille*, et l'an-
» xiété des malades sont bientôt au comble;
» ils frissonnent, ils chancellent, ils s'aurou-
» pissent; ils n'ont ni la volonté, ni la fa-
» culté de se mouvoir; la menace, les mau-
» vais traitemens ne peuvent les y détermi-
» ner etc. etc., *et plus antea*, il ne prend plus
» aucun soin de son existence; il refuse les
» alimens qui lui sont offerts; il verrait avec
» indifference qu' on voulût le delivrer de
» la vie. »

Quo quidem horrendo statu inveniebatur princeps Romanorum Orator Cicero, qui a Copilio, quem Marcus Antonius ad eum interficiendum miserat, insecutus, ad navigium confugit, undisque se commisit; ast tot adflictatus fuit angustiis, ut e nave descendere, iterumque Cajetam petere mallet, magno cum vitae periculo, potius quam diutius adeo ingentia mala perferre, quemadmodum ex ipsius verbis elucet dum ait. » Cum jactationem » navis, caeco volvente flatu pati non pos» set, Cajetam rediit, et moriar inquit, in » patria saepe servata: satis constat servos » fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimi» candum; ipsum deponi lecticam etc. etc. » quietos pati quod sors inique cogeret jus» sisset prominenti ex lectica praebentique » immotam cervicem caput praecisum est. »

Duodecim aut viginti horarum spatio transacto, habitudinis forsan gratia, non adeo vehementer noster organismus angitur, licet continuo agat causa, quae jam tot mala genuerat, et animalium virium dedolatio, atque haud graves capitis dolores ad intervalla recurrentes sola constituunt phoenomena exinde prodeuntia. Nihilo tamen secius, quamvis animi tristitia et moeror non ex integro statim evanescant, nutritionis necessitatem sentit aeger cibosque calidos, nutrientes, ac sim-

plices optat atque petit, vel, quemadmodum aliquando observare est, spirituosorum liquorum, et praesertim vini usui indulgere mavult. Postquam vero majore cum tranquillitate incedit navigium, paulatim, et brevi temporis spatio ad pristinum redit mentis corporisque statum, perpessorumque malorum oblitus ea superasse contentus, infidas spernere videtur undas.

Causae.

Satisfacientem hujusmodi adfectionis rationem tradere difficilime admodum negotium. Nonnulli eam aeris maritimi qualitati tribuerunt, quin tamen perpenderent eadem haud infrequenter incommoda oriri in illis, qui flumina lacusque permeant. Alii intestinorum atque ventriculi irritationem utpote praefati adfectus causam criminantur; haec tamen irritatio a solis sympathiae legibus repetenda. Quidam ex vertiginibus ex eo oriundis quod nervus opticus plurium objectorum ingratorum impressiones recipere nequit, originem passionem de qua sermo est, ducere autumant; quod si esset omnia praecaverentur incommoda oculos obtegendo. Celeberrimus Wollaston cum aliis ex mechanico sanguinis ad cerebrum impulsu eam prosilrie censet; qua de re tali

modo se exprimit. « Tous ceux qui ont èprou-
» vé le mal de mer indépandament du tour-
» noiement de téte, s' accordent à dire que
» le moment le plus pénible est celui qui
» répond à la descente rapide du navire avec
» la vague qui l' avait élevé; c' est pendant
» cette chute que le sang exerce une pres-
» sion plus particulière sur le cerveau ». Quae quidem opinio sponte solo concidit vix mechanico hydraulicum periculum, cui innititur in mentem revocetur. Ipse revera actionis motusque analogiam invenit mercurium inter in tubo vitreo repositum, sanguinemque in propria vasa contentum, majoremque cruoris copiam sub navigii depressione ad Cerebrum transvehi debere contendit; « Lorsqu' on ob-
» serve le baromètre *inquit ille* à la mer on
» temps calme; il se tient à la même hauteur
» à laquelle on l' observait à terre; mais
» quand le navire plonge, le mercure paraît
» s' èlver dans le tube qui le contient; parce
» qu' une partie de sa force de pesanteur est
» alors employée à le faire descendre avec le
» navire, et si par exemple, ce liquide était
» contenu dans un tube fermé en bas il
» n' exercerait plus sur sa base sa pression
» toute entière. De même et par la même
» raison, le sang ne presse plus en bas avec
» tout son poid, et il en est chassé en haut,

» avec cette même force élastique des vais-
» seaux, qui auparavant était employée en
» totalité à le soutenir ». Si tamen ex navis
depressione major ad cerebrum sanguinis re-
peret copia, quid in *aeronautis* contingere
debuisset, qui ex altioribus atmospherae re-
gionibus ad imas descenderunt.

Quod majorem mihi videtur attentionem
mereri, ne symptomatibus secundariis, et mere
accidentalibus fidatur, immediataque tali mo-
do actio obliviscatur, est critica hominis po-
sitio, in qua magis ingratos internorum no-
biliorumque organorum motus persentit « de-
clarat autem navigatio, quod motus corpora
turbat ».

Re quidem vero corpus rapidis multiplici-
busque navigii motibus obsequi cogitur, quod
in non assuetis obtinere possibile neutiquam
est. Vix e contra hujusmodi subjecta membris
ferendis paria evadunt, nec gradus movere
valent, atque, ne solo concidant, quodcum-
que inveniant corpori haerere coguntur. Quo-
usque deprimitur aut elevatur navis, huic vel
illi incumbunt lateri, male semper se habent,
omnesque impressiones, motus atque concus-
siones distincte percipiunt. Hinc in continuo
versantur motu ex quo procul dubio et omnia
viscera, et praesertim abdominalia indesinen-
ter commoventur.

In hoc abruto universali corporis viriumque oequipondio, omnes hujusmodi subjecti musculos spasmodica contractione tentari quis non judicabit? Dubium ne haerere poterit ipsum singulis, quas hac sub circumstantia capere cogit navigium, positioni energica, majoreque, quem par sit vi reniti? Clare exinde patet sub istiusmodi nixus ad casum corporis praecipue retrorsum praecavendum prae aliis abdominales musculos maxima in contractione poni; ex qua quidem contractione abdominalis cavi capacitatis imminutio necessario prosilit, atque id circo omnium in ipso contentorum viscerum compressio obtinet, qua propter ista superiora versus maxima pro parte compelluntur. Quum autem permagnus haec inter et stomachum, organon nobilissimum, ac praetermodum sensibile, consensus inest, certo certius est hoc praeceteris viscus illius compressionis effectus experiri debere. Sed hoc non sufficit; namque quum nobis innotescat hisce de causis abdominis organa commoveri ac comprimi, altera iterum nec minoris vis causa patescit. Indubium est navigium sub elationis et depressionis motibus, plures describere circuli arcus perpendiculares, atque ab alto, quo illud extulerunt undae, proprio quasi ponderi derelinqui, nec non huc illuc iterum diversi-

modo exagitari. Quibus omnibus sub motibus abdominis potissimum viscera superiora versus compelli debent, ideoque diaphragma sursum urgere, ex quo fit ut thoracis cavea coerceantur, et organa respirationi famulantia compressionem patiantur in quam reagere nituntur profundae inspirationis ope, quae quum nisi diaphragmate opitulante obtinere nequeat, hoc, ad contractionem excitatur, atque in organa quae sursum illud extollebant reagit.

Addita hac tertia compressionis in stomachum causa, maximaque aliunde hujusce visceris cum aliis organis sympathia perpensa, ipsiusque dignitate in functionum oequipondio servando respecta, facile elucescit quomodo, ipso in suis muneribus alterato, ceterae pariter functiones a naturali tramite aberrare debent. Quod si hisce omnibus nervosa, quae exinde oritur, reactio adjungitur, facilius adhuc videre erit, quomodo sola nervi phrenici concussio, ad diaphragmatis contractionem excitandam, atque stomachum adeo comprimendum ut vomitus cieatur sufficiat. Neque silentio denique praetereundum est nervum pneumo-gastricum, splenicum, binaque ganglia semilunaria in centro ubi inordinati hi motus contingunt, in ventriculum et intestina non modo, verum in universum organismum animalem reagere.

Ex quibus omnibus huc usque prolatis profluit navigii motus immediatam nautiae caussam constituere, in quo consentientem habemus et praelaudatum Doctorem Keraudren, qui haec tradit. « Les mouvemens répétès du » vaisseau portent le trouble dans les organes » épigastriques et abdominaux. Ces viscères » éprouvent ainsi des frottomens, des col- » lisions bien propres à occasioner l'état spa- » smodique et les convulsions de l'estomac ».

Hinc tamen non restringitur morbosae hujusce adfectionis causarum numerus. Quae continuo ex *sentina* manat foetida exhalalio, in recenter constructis ac reparatis navibus major, talem refert naturam ut animal quodcumque quod eam respirat, asphycticum reddere valeat. Hujusmodi exalatio provenit ex substantiis quamplurimis vegetabilibus in aquis partim etiam salitis macerationi subjectis. Neque parum ad ipsius evolutionem confert arboribus ad navium fabricam uti, ab aquis salitis, in quibus per plures annos antequam adhiberentur permanserunt, eductis, nec bene exsicatis. Hujusmodi inquam, exhalatio, majori quantitate in respirationis organa introducta, absolute noxia evadit, imo haud raro deleteria, minori autem nauseans et intollerabilis quemadmodum in proximis locis experiri decet, maximeque adversante neptuno,

quibus sub circumstantiis ex continua exagitatione copiosiora mephitica effluvia evolvuntur. Ad cujus damna magis magisque evicenda observare sat erat, vernices metallosque, argentum ipsum et aurum, vix per aliquod temporis spatium hujusce moephitis influxui exponuntur, nigro colore obduci.

Ex hisce itaque eruere fas, si quoddam individuum sive natura, sive habitudinis gratia primae resistere scit causae, huic certe, quae numquam, quaecumque sit habitudinis vis, indifferens evadit, reniti non posse. Quod factis comprobatum est. Etenim si quis, quacumque de causa hisce in locis jacere, vel noctu obdormire cogitur, confestim subitanei ad vomitum conatus ipsum aggrediuntur, imminentisque suffocationis sensum experiuntur adeo ut hic illic exagitetur, maximaque cum anxietate puriorem requirat aerem. Quibus praeterea addere fas est calidiorem semper navigii temperiem, vertiginesque quae hisce in circumstantiis facilime adsociantur.

Quod si perpendatur maximus moralium adfectionum in organismo influxus, atque in mentem revocentur horroris, quam hisce temporis marini fluctus referunt imagines altera patebit iterum causa, quae praesertim in non assuetis hunc adfectum excitando par erit.

Hisce positis proximam atque efficientem

morbi maritimi causam omnino nervosam, atque ex adfectione nervorum ad organa in epigastrica regione posita et abdominalia in genere repentium pendere, habere decet. Hypotetica prorsus est illorum opinio qui in cerebro ejusmodi morbi causam reponunt, quam phoenomena in hoc viscere contingentia mere symptomatica sint, atque ex sympathia, quae ipsum inter, et ventriculum inest, prodeuntia.

Morbi maritimi utilitates.

Eo pervenit perspicax hominum mens ut ex objectis, phoenomenisque qualibuscumque aliquid semper boni erueret, licet adverso omine a natura data viderentur. Quod de morbo maritimo equidem repetere decet, non pauci enim fuere, qui ejusdem utilitates cecinerunt, quique illud utpote efficaccissimum imo unicum quamplurium morbosarum adfectionum remedium jactitarunt, adque commendarunt.

Hic adfectus, qui inter immanes angustias aegrotantes conjicit, atque haud raro sive vehementia, qua ingruit, sive diuturnitate, qua vexat, in maximum vitae discrimen eos adducit quique organicos omnes morbos, quibus subjectum fortuito pronum sit, fovere

necessario debet, et prae primis abdominalium viscerum congestiones, dum non adeo violenter adgreditur, breviterque perdurat, quamplurimis testantibus medicinae scriptoribus, maxima in non paucis morbosis passionibus emolumenta aliquando genuit. Ex probatis reapse observationibus constat anorexias omnibus artis conaminibus pervicaciter renitentes, vomitu a navigii motu oriundo ad sanationem perductas fuisse. Evictum pariter est plerasque chronicas organorum respiranes adfectiones potissimumque sic dictas mucosas seu catarrhales, optimum in hujusmodi vomitu remedium invenisse. In nervi systematis pathematibus, et speciatim in morbo hypochondriaco maximas nautiam suppetias saepenumero attulisse, adeo ut perfectam haud raro sanationem attingerent aegri, plures testantur medicinam facientes. Omnes denique morbos chronicae decurrentes in vomitu, de quo loquimur, efficax nonnunquam invenire pharmacon *Mercurialis* auctor est, qui inquit. « Quae simul omnia magnam vim ha-« bent ingentes vomitus concitandi, ac con-« sequenter omnem veterem morbum pro-« fligandi ».

Therapia.

Hisce tali modo breviter exaratis, nunc aliqua de therapia in hoc malo instituenda proferendum est, quae nisi ad id cedat ut ipsum devincat, incommoda saltem ex eo prodeuntia mitiora reddere valeat. Atque omnium primo commonere juvat quam plura a medicis contra hunc truculentum adfectum auxilia proposita ac commendata fuisse. Sic modo acida, modo tonica, aliquando antispasmodica concelebrata fuere, et jam, succi citri, et aurantiorum, syrupi limoniorum, aut mali granati, jam oleum menthae, tinctura absynthii, cinnamomi, aether sulphuricus, castoreum, opium etc. passim laudatores invenerunt, quin imo utpote specifica habita fuerunt. Neque internam tantummodo curam respexerunt medici, quos inter permulti emplastra ex aromaticis, et roborantibus substantiis confecta epigastricae regioni admovenda, vel frictiones cum eisdem substantiis in ipso epigastrio peractas collaudant. Non defuit autem qui ceteris hac in re medicaminibus palmam procul dubio praeripere tradidit sacculos croco repletos eaedem regioni adplicitos, atque hos inter ipsum Baconem Verulamium recenseri meretur, qui sequentia tradit. « Equidem memini

« quemdam anglum, ut vectigalia supprimeret
« croci saccum, cum transfretaret, circa sto-
« machum portasse, et lateret, eumque cum
« antea ex mari gravissime aegrotare solitus
« esset, optimum tum valuisse, nec nauseam
« ullam sensisse ». Experientiam tamen hu-
jusce praxeos utilitatem nundum confirmasse,
reticendum non est.

Quod repetere decet de liquore minerali Celeberrimi Friderici Hoffmanni, qui passim utpote princeps contra adfectum de quo mentionem habemus, hodierno etiam oevo a quam plurimis jactitatur. Re quidem vera inficiari nequit hunc liquorem ad paucas guttulas sub forma eleosacchari initio morbi suppeditatum morbosa phoenomena compescere, atque stomachum ad pristinum quasi statum restituere, sed hoc pro momento tantum contingit, quod quae magis faciendum est, non obtinet dum profundiores morbus jam agit radices, et ventriculus in graviori orgasmi statu invenitur. Ex quo elucet remedii actionem tunc solummodo a nervis persentiri, quam leviorem patiuntur irritationis gradum. Nihilotamen secius hujusmodi liquor non spernendum constituit pharmacon, cujus usum commendare confert, quippe quod tot malorum aliquod saltem lenimen afferre queit.

Verum nisi tollatur causa, neque effectus

auferri poterunt, qua propter ad id curas convertere praestat vel ut permolesta leniautur phoenomena, praesertim nervosa atque dolorifica, vel ut vomitus foveatur. Quod ni mea me fallit opinio, principem meretur respectum; hoc enim peragendo ventriculi in semet ipsum contractionis vis valdopere imminuitur, minusque gravia redduntur symptomata. Quem ad assequendum scopum saepissime aquam puram magna copia sorbillare confert, facilisque masticationis cibos edere; propositum equidem fuit ad eundem finem miseros hoc morbo vexatos prope navigis latera ponere ut undarum motus conspicere possent, ex quo facillime oriuntur vertigines, quae vomitum quammaxime facilitant. Quo auxilii genus a clarissimo Boyle jam commeditatum videre est, dum sequentia in medium profert « Et aeque notatu « dignum est, quod, si quis, mare sulcans, « nausea, non tamen ad vomitum sufficien« ter, tentatur; a nautis de navis latere in « aquam prospicere jubeatur, que celeri na« vigii cursu aqua rapide profluere visa, velo« cis fluminis vices explente spectator verti« gine comitato facilius vomere possit: quod « ipsae non semel sanitatis causa, nauseam « promoturas expertus sum ».

Adnotandum tamen occurrit vomitum non semper ciendum esse, namque si, alio jam

praegresso vomitu, ventriculus vacuus esset, quod corrigere conamur, produceretur. Hisce potissimus in casibus artis auxilia usurpanda sunt, atque potibus refocillantibus, cibis tenuibus, sed nutrientibus, aptisque medicaminibus, quae inter infusionem rhei electi, additis paucis olei methae aetherei guttis, egometispe salutarem expertus sum, occurrenrendum est.

Neque silentio praeteream inter auxilia ad vomitum compescendi scopum commendata, aliquod omnino mechanicum adesse, quod in cinctura abdominis admovenda sistit. Hanc utilem evadere debere primo intuitu videretur; sed ex periculis a Doctore *Leygrand* istitutis constat nonnisi palliativam eam actionem exercere, ipsaque, quae modo de liquore minerali *Hoffmanni* protulimus, de illa repeti posse.

Concludendum itaque est unius habitudinis auxilio huic permolesto adfectui eripere posse homines, illius habitudinis quae nos quibuscumque coeli vitaeque conditionum mutationibus assuefieri docet.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

I.

Typhum bubonicum ex Oriente primam habuisse originem denegamus.

II.

Venae sectionis omissio causam non raro praebet ob quam homines in morbis offendunt.

III.

In abscessibus aperiendis magis quam lanceola et cultrum praestat generatim causticum potentiale.

IV.

Causis praecipuis, quae diarrhoeae evolutioni favent inter cohortes militares, aquae frigidae potus post reditum a bellicis exercitationibus adnumeratur.

V.

In febribus intermittentibus nimis praecox chinaceorum usus complurima parat damna.

VI.

Valde decipiuntur Medici, qui ex linguae spurcitia gastrismi praesentiam constanter designari credunt.